

derent si eis prædicaretur, et alia multa similia in Scriptura passim reperiuntur in quibus non est majus inconueniens quod Deus de facto decernat efficaciter causare illos actus in hominibus si talis, vel talis conditio ponatur, quam in futuris absolutis de facto, ut ita fiat decernere, sed in absolutis illud decretum efficax, et antecedens non tollit libertatem, ut late a nobis probatum est supra: ergo neque tollet, si sub conditione aliqua ponatur. Quomodo autem tunc ordinandum sit decretum ut veritas illa non reddatur necessaria, sed maneat libera, et sub libero decreto cognoscibilis, diximus tomo præcedenti, disp. xx, art. iv, et iterum attingimus statim solvendo argumenta.

X. Denique, constat ex Scriptura Deum ista decreta habere, quia revelavit multa se facturum si conditio talis, vel talis poneretur, ut Genes. xviii: *Si invenero in Sodomis quinquaginta justos, dimittam omni loco propter eos, si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*: iv Reg. xiii: *Si percussisses quinquies vel septies, percussisses Syriam usque ad consummationem*: Jerem. xxxviii: *Si exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua*: Matth. xi: *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, in cinere et cilicio penitentiam egissent*. Et alia multa similia, in quibus explicatur determinatio divinæ voluntatis, et resolutio circa talia objecta faciendæ: ergo non repugnat dari de facto aliquam voluntatem in Deo circa objectum non ponendum de facto, neque futurum, nisi tantum sub conditione.

Respondent illam voluntatem Dei non esse absolutam, et de facto in Deo, sed conditionatam, etiam ex parte actus, id est, quæ esset in Deo,

si talis conditio poneretur, non quæ jam de facto sit.

Sed contra, quia si non est de facto voluntas in Deo circa talia objecta, sed sub conditione, id est, talis voluntas dabitur in Deo si conditio poneretur: ergo nondum divina voluntas quidquam resolvit et determinat de facto circa tale objectum, sed remittit in futurum quod decernet, et resolvit. Vel ergo pro nunc manet indifferens, et nihil decernens de tali decreto et voluntate tunc futura, vel determinat voluntas ejus quod tunc posita illa conditione, sic vel sic decernet, ita quod modo vult se voliturum et se decreturum. Si manet indifferens, et nondum aliquid determinat, seu decernit, nec determinat se voliturum aut decreturum: ergo etiam effectus illi conditionati, qui a tali voluntate dependent, manebunt indeterminati et suspensi: nec enim magis determinari esse possunt, quam ipsa voluntas divina, a qua dependet eorum determinatio, aut si ipsi effectus determinati sunt, quid prohibet etiam voluntatem divinam eis conformari, et determinatam manere? Si autem indeterminati sunt, et suspensi, quomodo Deus illos pronuntiat tamquam certos, et determinatos, ut locis Scripturæ citatis vidimus, præsertim quando Deus explicat resolutionem suam, ut quod dimittet, et non delebit Sodomam si fuerint quinquaginta, vel triginta justis, quod vivet rex Sedecias si exierit ad regem Babylonis, et similia? Si autem divina voluntas non manet suspensa et indifferens, sed de facto resolvit, et determinat se decreturum, si talis conditio ponatur in hanc partem potius quam in oppositam: ergo jam voluntas divina habet de facto volitionem et actum absolutum, id est, de facto habitum et resolutum circa id quod tali conditio-

ne posita determinandum est, et sic non repugnat decretum absolutum circa veritates conditionatas, aut circa determinationem Dei sub conditione ponendam.

FUNDAMENTA OPPOSITA CONVELLUNTUR.

XI. Ad fundamenta opposita constat ex dictis hæc decreta non esse impossibilia Deo, neque inutilia aut otiosa, neque libertatem destruere. Ad id quod objicitur ad probandam impossibilitatem jam responsum est decreta ista non exigere mutationem realem in objecto, sed denominationem voliti. Et cum dicitur quod rebus invariantibus, nulla sequitur denominatio, distinguo; rebus invariantibus tam active quam passive, tam absolute quam conditionate transeat; variantibus saltem conditionate ex parte sua, ex parte autem Dei active variantibus, nego: Deus enim actu suæ voluntatis potest variare objectum, etiam si in se non varietur ejus voluntas, et potest tali actu voluntatis variare objectum vel simpliciter, et de facto, vel sub conditione, aut quoad denominationem extrinsecam, qua vult objectum sic esse determinatum, aut ordinatum ad effectum, licet effectus non ponatur: nec enim voluntas, ut voluntas, necesse est quod realiter, et de facto immutet objectum, sed voluntas ut efficax, sed sufficit quod reddat objectum libere volitum, et aliquid esse ei communiter, saltem sub conditione, quod non est aliud quam ipsum determinari ad esse in vi alicujus causæ, licet cum impedimento, aut determinatione, ne de facto sit. Et sic negamus quod non detur mutatio ex parte creaturæ: datur enim mutatio conditionata, non absoluta, et de facto. Et ad instantiam quod non potest aliquid amari sub condi-

tionem, si sit bonum, futurum autem conditionatum non est actu bonum, respondetur quod non est actu bonum subjective, concedo; quasi res existens, aut extitura de facto objective, nego: est enim objectum de facto determinatæ bonitatis ex sua specie, et objecto, et ordinatum ad esse, quantum est ex parte alicujus causæ vel causarum, sed non determinate existens. Ut autem aliquid ametur de facto, et absolute ex parte actus, non requiritur quod sit de facto existens, et bonum in se subjective, sed sufficit quod habeat aliquam determinatam bonitatem ex objecto, et sit ordinatum ad esse, saltem ex parte alicujus causæ, vel causarum. Nam hoc ipsum quod est rem aliquam determinari, ut sit futura sub aliqua conditione potius quam ut non sit, est aliquid amabile, et actu determinato attingibile, eo quod bonitas illa objecti determinata secundum se est licet existentia nondum determinata sit, sed sub conditione suspensa.

XII. Ad secundum inconueniens negatur ista decreta esse inutilia, et otiosa, ut satis ostensum est. Et ad probationem dicitur, quod ista decreta expressius et formalius reluctant, vel in promissionibus aut ordinationibus generalibus eorum quæ Deus jubet aut statuit fieri; aut in conditionatis particularibus, in quibus conditio non est resolvenda et purificanda, ut transeat in absolutum. In promissionibus quidem, aut ordinationibus generalibus, sicut cum dicitur: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata: si populus meus audisset me, pro nihilo inimicos eorum humiliassem: si revertamini et quiescatis, salvi eritis: si conversus fuerit peccator, vita vivet, et non morietur*. Istæ enim generales conditiones comprehendunt in se omnes, vel multos, et in aliquibus purificatur conditio, et fiunt absoluta, in

aliis non. Et ideo non est otiosum, vel inutile talia decreta generalium conditionum habere, quia licet in aliquibus purificentur et transeant in statum absolutum, tamen in aliis non; et de se solum explicant quid debeat a nobis fieri, non quid de facto sit faciendum. In particularibus autem conditionatis, in quibus conditio non est purificanda, relucet ista conditionata decreta formaliter, quia Deus habet tunc expressum et formalem actum circa illa, ut est illud: *Si manserit David in Ceila, tradetur: si Sedecias exierit ad principes Babylonis, vivet anima ejus: si Christus rogaverit Patrem, dabit ei duodecim legiones Angelorum: si facerent virtutes in Tyro et Sidone, converterentur.* Ista, et alia similia expresse revelata sunt in Scriptura, et in illis relucet expresse decretum Dei, et resolutio, quæ circa talia objecta versantur. De aliis vero non possumus scire an Deus expressum actum conditionatum habuerit in particulari circa ea quæ in particulari noluit de facto fieri: ibi enim non apparet ad quid servierint illa conditionata decreta, nec nobis aliquid de hoc revelatum est: unde temere resolvemus an fuerint in Deo, vel non: videtur enim sufficere quod virtualiter, et implicite fuerint, quatenus voluntas divina consideratur prius sub aliquo signo rationis velle, quod si hoc ponatur: Illud fiat, et in alio signo rationis velle quod fiat, quod tamen de facto totum clauditur sub uno decreto id faciendi; potest etiam intelligi quod ad utrumque statum conditionatum, et absolutum habeat suam voluntatem formaliter et expresse, nec tamen id otiosum est, quia licet Deus non indigeat multiplicare decreta, res tamen ipsæ, seu objecta multiplicant status, quia possunt considerari sub absoluto statu, et sub conditionato, et utrumque at-

tingitur a voluntate Dei, illique subjicitur; subjici autem ejus liberæ voluntati, otiosum non est.

XIII. Ad id vero quod objicitur, videri otiosum occupari Deum circa combinationes tam multas conditionatas, simul decernendo ipsas non facere de facto, respondetur magis otiosum videri, quod nos tam infirmæ et constrictæ intelligentiæ homines velimus metiri divinam voluntatem, et juxta nostrum modum mensurare. Fortasse in nobis otiosum erit disponere, aut tractare de multis, quæ ad nostram curam non pertinent; non autem erit otiosum in rege, qui curam habet totius regni sui, aut in pontifice qui habet sollicitudinem omnium Ecclesiarum, etiam si non omnia effectum sint habitura. Quid otiosius quam si nos tractemus de modo gubernandi Angelos, aut quomodo Seraphini, vel Cherubini debent præcipere suis inferioribus, et illuminare illos eisque communicare? Non erit autem otiosum de his tractare, et disponere ipsos Angelos inter se. Similiter non erit otiosum Deo, qui est universalissimus provisor totius entis, et omnis creaturæ, multas combinationes formare circa multa, etiam si effectum non omnia sortitura sint, quia id exigit ipsa natura creaturarum illarum, pro illo statu, et omnibus juxta suos modos Deus providere debet. An vero habuerit ista decreta conditionata circa omnia impossibilia, vel non, sed circa aliqua: quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut qui potest ei leges imponere ut dicat ei, quod eadem est ratio habendi decreta circa ista, et circa illa, vel circa omnia? Illa solum est ratio quam ipse sibi proponit, et juxta quam agere vult, quia operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Sufficit nobis scire quod aliqua talia decreta habuit, quæ nobis in

Scriptura revelavit, et aliqua similia forte habuit, quæ ad ejus providentiam circa hoc universum pertinent, vel ex illa sequuntur. De reliquis nihil scimus; nec tamen propterea mansit divina voluntas in suspensio, quia omnia illa potuit concludere sub determinata nolitione. Quod autem dicitur otiosum est has combinationes formare sub conditione, et ex alia decernere ea non facere, jam diximus hoc non esse otiosum Deo, quia cum ejus voluntas complectatur omnes ordines rerum et de eis disponat, sicut non est inconveniens, sed necessarium quod multa secundum unum ordinem sint futura quantum est de se, sed omnibus pensatis, vel sub alio ordine considerata de facto non sint, ita non est otiosum de eis Deum disponere, ut sint futura sub uno ordine, et sub conditione, si ille ordo eveniret, et sub alio ordine velle quod non sint de facto: Deus enim non solum pro uno, sed pro omnibus velle debet, et resolvere id quod ad unumquodque pertinet. Quod vero dicitur quod hoc ipso Deus decernit rem non fieri, manet conditio impossibilis, et sic erit conditionatum de conditione impossibili, omnino et ridiculum: nam conditio illa non redditur impossibilis ex natura rei, et secundum se, sed ex suppositione quod Deus nolit illam esse, imo hoc non est reddi impossibile, sed solum non esse futuram, aliud est autem velle sub conditione non futura, aliud sub impossibili, quæ sit impossibilis ex natura sua, et antecedenter: hoc enim otiosum, aut stultum videtur decernere conditionate de aliquo sub conditione de se impossibili, ut si chimæra producat a me, ponam illam in tali loco. Decernere autem sub conditione ex se non impossibili, sed tantum non futura, nec purificanda, non est otiosum, imo sub

talibus conditionibus communiter debent fieri conditionata decreta. Quod vero reddatur impossibilis, supposito decreto de non purificanda illa conditione, hæc impossibilitas est ex suppositione libera decreti Dei, non autem est impossibilitas simpliciter, et intrinseca, sicut omnia quæ Deus non facit, ex suppositione quod non facit, sunt impossibilia ut fiant, impossibilitate secundum quid, et ex suppositione.

XIV. Ad tertium inconveniens respondetur, decretum quo Deus de facto vult, ut si talis conditio ponatur talis res fiat, esse prædefinitivum illius rei faciendæ, non absolute, et in re, sed sub conditione, si purificetur illa conditio, quia est voluntas determinans et resolvens quod ita res fiat, si conditio ponatur. Ad replicam, quod est decretum antecedens, et tollens libertatem, respondetur quod est antecedens causans libertatem, quia est voluntas volens, non quod res fiat quomodo-cumque, sed quod fiat libere, et sic influit in modum libertatis efficacia sua, non tollit illam, quia voluntas Dei est principium rei volitæ eo modo quo vult illam esse: sicut de decreto absoluto, quo Deus de facto vult ut actus meus libere de facto fiat, satis superque dictum est supra: est enim eadem ratio quoad hoc, de decreto illo sub statu conditionato, atque de eodem sub statu absoluto, purificata conditione. Ad aliam replicam, quod pertinebit ad scientiam simplicis intelligentiæ cognitio effectus conditionati, quia per necessariam illationem deducitur ex decreto, respondimus late in præcedenti tomo, disp. xx, a. iv, circa finem. In summa dicimus, quod ex illo decreto quo Deus prædefinit rem sub conditione futuram, deducitur necessaria consequentia, distinguo; necessitate supponente, seu consequente ad decretum, concedo;